Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rauit indicare. At illa merito turbata tali presagio, uocauit ad se uirum. et diligentius ab eo rem uel unde hoc ipse nosset inquirebat. Qui ait. Nuper occupatus noctu uigiliis et psalmis, uidi astantem mihi subito quendam incogniti uultus. cuius presentia exterritus dixit mihi ne timerem. et quasi familiari uoce me alloquens. bene facis inquit. qui tempore isto nocturne quietis non somno indulgere. sed uigiliis et orationibus insistere maluisti. At ego. noui inquit multum mihi esse necesse uigiliis salutaribus insistere. et pro meis reatibus sedule dominum deprecari. Qui dicens. uerum inquit dicis quia et tibi et multis opus est peccata sua bonis operibus redimere. et cum cessant a laboribus rerum temporalium. tunc pro appetitu eternorum bonorum liberius laborare. sed hoc tamen paucissimi faciunt. Siquidem modo totum hoc monasterium ex ordine perlustrans singulorum casas ac lectos inspexi. et neminem ex omnibus preter te qui sanitatem anime sue occupatum repperi. sed omnes prorsus uiri et femine aut somno torpent inerti. aut ad peccata uigilant. Nam et domuncule que ad orandum uel legendum facte erant. nunc in comessationum potationum. fabulationum. et ceterarum sunt illecebrarum cubilia conuerse. uirgines deo dicate. contempta reuerentia sue professionis. quotienscumque uacant texendis subtilioribus indumentis operam dant. quibus aut se ipsas ad uicem sponsarum in periculum sui status adornent. aut externorum sibi uirorum amiciciam comparent. Unde merito loco huic et habitatoribus eius grauis de celo uindicta flammis seuientibus preparata est. Dixit autem abbatissa. Et quare non citius hoc compertum mihi reuelare uoluisti. Qui respondit. Timui propter reuerentiam tuam. ne forte nimium turbareris. Et tamen hanc consolationem habeas. quod in diebus tuis hec plaga non superueniet. Qua diuulgata uisione. aliquantulum loci accole paucis diebus timere. et se ipsos intermissis facinoribus castigare ceperunt. Uerum post obitum ipsius abbatisse redierunt ad pristinas sordes. immo scelera peiora fecerunt. Et cum dicerent pax et securitas. extemplo prefate sunt pena multati. Que mihi cuncta facta sic esse facta conpresbiter meus referebat.

Vita s. Mathildis regine

Uenerabilis quidem Mathildis regina. illustris genere et maritali potentia. illustrior religione diuina. quanto sibi iam accessit potestas sublimior. tanto fiebat humilitate deuotior. et quod raro euenit. dignitatem seculi sine superbia possedit. In publico processit ornata gemmis et serico. sed interius gerebat preciosius ornamentum. cor acceptabile deo. tantaque subditis exhibuit humilitatem et caritatem. ut omnibus esset amori pariter et honori. Noctu uero secretius a latere regis dormientis latenter quasi ipso inscio surrexit. et ecclesiam palacio proximam ingressa orationibus incubuit. ut talibus hostiis placaret dominum. quem diligebat casto amore et integra fide. Quis autem dubitet ut rege nesciente electa Christi famula posset actitare. Nouerat enim omnia secreta sed se simulabat nescire. quod sciebat utrisque prodesse. ideoque faciles illi consensus prebuit ad omnia que desiderabat. Ad affluentes etiam mundi diuicias cor non apposuit. sed eas per opera misericordie indigentibus large distribuit. Si aliquem comperisset oppressum ui. aut pro sceleribus carceri mancipatum. uel morti adiudicatum. nil prius habuit hilaritatis quam illum liberaret ab ira regis. Si quando abscessit non exaudita. id dictante populari sententia. rex secum tacitus ingemuit quod petentis uotum non impleuisset. et sepe a iudicio egressus ad leniendum amarum animum regine. arbitribus reliquit discutienda que fuerant legibus punienda. et aliquibus interim potioribus detentus actibus; illud euangelicum mandatum adimplebat quod sibi famula Christi sepius inculcauerat. Nolite iudicare ut non iudicemini. in quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini. et in qua mensura mensi fueritis remetietur uobis. O beatum uirum fide et meritis egregium. et o deo deuotam mulierem. que totis uisceribus diligebat Christum regem. Ambo quippe laude sunt digni. qui non tam fuerant carne coniuncti quam uno eodemque animo et spiritu ad omne opus bonum prompti. Inerat illis una in Christo karitas. equa sinceraque uoluntas. par dilectio in proximos. equalis compassio in subiectos. In ipsis quoque ita pollebat castitas coniugalis. ut decet continentia laudabilis. In omnibus actibus eorum resplenduit modestie uirtus. Usque bonum apud eos

Mathildis regine.